



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Exempla ex Vet. Ex Novo. Christi. S. Joan. Bapt. Sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

terpretatur *descensus*. Christus in probroso Calvarie monte Patrem suum agnosceit: *Pater in manus tuas* &c. Luc. 23. 46. ut nos doceret. qui se filium DEI gloriatur, premia ejus vestigia: ut sicidem inter supplicia, qui inter delicias; idem in ignominia, qui in honore; isdem oculis amarum spectet, quibus dulce. *Scio humiliari, scio & abundare; & satiari, & esseurire; & abundare, & penuriam pati.* Philipp. 4. 12. Did. Niss. Sabb. post Dom. 1. Quadr. §. 5. Statuamus aequè, tam in monte Calvarie, quam in Thabor, dicere: bonum est, me tecum esse, Domine; sive in cruce moriaris; sive gloria refulgeas. S. Franciscus Sales. Philoth. p. 4. c. 13.

Serviens Domino die ac nocte Luc. 2. 37. In die prosperitatis, & nocte cujuscunque adversitatis, servendum est Domino. *Beatus vir, qui in lege meditatur die, ac nocte.* Sim. Cass. l. 2. c. 21.

Neque altitudo, neque profundum. Dom. 8. 39. S. Ambrosius in Pl. 118. per altitudinem intelligit felicitatem, & ridentem fortunam; per profundum varias ærumnas. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 29. *A dextris, & à sinistris.* 2. Cor. 6. 7. Ne corrumpatur hujus Mundi prosperis, arma justitie habuit à dextris: arma justitie à sinistris habuit; ne frangeretur ab adversis. V. Beda hom. in natali S. Stephani. Per bonam famam, & malam; à dextris, & à sinistris, Christi miles graditur: nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur; non divitiis tumet, non contrahitur paupertate: & lata contemnit, & tristitia; *per diem sol non urit eum, neque luna per noctem* Psal. 103. S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum.

Requiem non habebans die, ac nocte. Apoc. 4. 8. Die, ac nocte, laudem DEI proclamant; qui in omnibus prosperis, & adversis, Deo gratias agendo, omnem providentiam, in se dispositionem gratissimam habent, & ipsum de omnibus operibus suis laudant. S. Bernard. Senensis t. 3. f. 2. apud Sylveira hic.

§. II.

Alia Symbola ex diversis.

Ambulans JESUS juxta mare. Math. 4. 18. In Pontum Euxinum effunditur Danubius immensis gurgitibus, & aquarum, & luti: neque ideo ille nativi salis acrimoniam perdit, vel undarum perspicuitatem; imò sensim amnis eorum discutit, ejus saporem suum, & puritatem communicat. Ganges, & Indus, in Orientalem Oceanum invehunt arenas aureas, & gemmas; nemo tamen in illo deprehendit, vel fluctus aurò coloratos, vel intumescentes. Qui olim fuit, is modò est oceanus sibi semper similis: nec decrevit exhaustus vaporibus, nec crevit influentibus omnibus. Seneca l. de providentia: tot amnes non mutant saporem maris: ità impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu; &, quicquid evenit, in suum colorem trahit. Oliva t. 3. conc. 11. in festo S. Andrea.

Herba viva, semper viva, nullò frigore, vel calore, læditur; nullà ariditate, vel humore; nec avulla commoritur: ubilibet, vel ardentissimo loco, radices figit. Nicolaus Causinus ex Majoro colloq. 20.

R. P. Spanner Poly. Tom. I.

§. III.

*Æquanimitatis exempla.**Ex Veteri.*

Profectus inde Abraham in terram Australem. Gen. 20. 1. Nuper armaverat trecentos vernaculos domus suæ; quibus reges Syriæ debellavit Gen. 14. 14. & nunc, baculo in manu assumptò, ipse, & uxor ejus, cogitur ad Geraras descendere, atque mendicare. Oleaster hic. Discant à sene; qualiter homines utramque fortunam tolerare debeant. Idem in Annotat. mor. de Abraham.

Extenditque manum, & arripuit gladium; ut immolaret filium suum. Gen. 22. 10. Eodem ferro mactavit arietem, v. 13. quò filium percutere jam parabat; à filio ad agnum transtulit dexteram; semper lætus, & gaudens: nec mutatus est vultus ejus, cum esset victima commutata: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium. Zeno Veronenf. l. 1. de Abraham. apud Ramirez in ep. 6. v. 12.

Varia fors Joseph. À patre summè dilectus polymitè exornatur. Gen. 37. 3. Indè venditur in servum Madianitis. ibidem v. 28. Ex quo confurgit in regimen. Gen. 39. 7. Exinde cadit in vincula. v. 20. Indè evehitur, ad totius Ægypti gubernaculum, ut secundus esset à rege. Gen. 41. 43. Cur patitur rot tot vicissitudines? nisi ut Joseph, & nos, discamus, in prosperis non evanescere, sed casus timere; nec in adversis deprimi, cum ex illis tot ei ascensus sint preparati. Sylveira in Luc. 10. q. 6. Joseph unum habebat propositum, placere DEO. Hoc nullà varietate temporis immutatum est, nec fraternà invidià, nec conditione servitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ promissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Ægyptiæ potestatis: sed semper unus fuit; & veritatem, ut diximus, temporum sibi redimens, malos dies vertit in bonos. S. Hieronymus c. 4.

Ne timeas Jos. 10. 8. Srenui viri vulget in felicitate humilitas, in adversitate animositas, utrumque in Josue Dominus junxit. Nam, cum reges collatis viribus Gabaonitas expugnaturi convenirent; animos illi facit: *ne timeas*. Et ne victorià inflatus superbiat celesti auxilio victoriam adscribit: *in manus tuas tradidi illos.* Naxera hic §. 23.

Respondens Anna. t. Reg. 1. 15. vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati. v. 18. Hebr. & non fuerunt ei amplius facies. Scilicet varia: ut nunc inæsta, nunc læta, apparet; sed eadem semper facie gravi, modesta, serenà, & læta. Quia scilicet per orationem se totam Deo resignans; ab eo donata fuit animi serenitate; ut in Deo, Deique providentià, & voluntate, conquiesceret. Cornelius hic.

Ego pugnabo adversus Philistheum. 1. Reg. 17. 32. Vides in conflictu fortitudinem, vide in fortitudine humilitatem. Regias invitatur ad nuptias; & imparem tantæ se reputat dignitati. *Quis sum ego, aut quæ est vis mea,*

B

aut

aut cognatio Patris mei in Israel; ut fiam gener regis? In fastigio apparuit humilis, in periculo fortis. Naxera in Jos. 10. §. 23.

Sex ala uni, & sex ala alteri; duabus velabant faciem ejus, & duabus volabant. If. 6. 2. Extremis alis ad velandum, ad volandum mediis, utebantur. Lyranus. Ad designandum; quod angeli semper sunt parati ad divina ascendere; & ad inferiora descendere secundum Domini voluntatem: ideo volatus in medio loco disponitur; quasi ad utrumque paratus. Did. Niss. Vit. Abrah. l. 9. c. 2.

Ex Novo.

Christus Dominus.

Ascendit ad montem; & cum sedisset. Math. 5. 1. Et Luc. 7. 17. *descendens stetit in loco campestri.* Quid est sedere? se humiliare. Ita Augustinus, Beda, Hugo Card. federe humilitatis est. Quid autem egit Dominus, postquam in humilem campum descendit? *stetit*; in pedes erectus. Et quid stare significat? constantiam. Quem ergo benevolentior fortuna in prosperitatis montem eduxit, ut staret, sedeat; meminerit, quod humiliari possit. Quem vero infelicitas in calamitatum vallem abiecit; in pedes se erigere, & stare debet. Did. Niss. Phoen. Graec. c. 4. l. 8.

Reclinavit eum in praesepio. Luc. 2. 7. Qualiter verò supernus hic Rex in tam humili folio, & abjecto throno, se habuit? Respondet S. Gregorius Thaumaturgus orat. 1. de annunt. in praesepio, ut super Cherubim, quiescebat. q. d. cum tanta voluptate, & gloria, in duro illo diversorio, & abjecto illo praesepio, quiescebat; cum quanta humeris Cherubicis, & magnifico Majestatis suae folio, immoratur. Did. Niss. Sabb. post. Dom. 1. Quadr. §. 5.

Qui descendit, ipse est, & qui ascendit. Ephel. 4. 10. Nota illò: *ipse est*: docemus; quòd æmulari in Filio Dei debeamus, quotquot filij Dei adoptivi esse gloriamur, ut five nos ipsius providentia in summo felicitatis fastigio constituat; five in miseriarum abyssum abiciat; semper iidem simus, exemplo illius Unigeniti: qui cum ad probra crucis usque descendit; & in voluptatem supremæ gloriæ assurgit; seu descendat, seu ascendat; semper *ipse est*, sui semper per omnia simillimus. Didac. Niss. ibidem.

Vicit leo. Apoc. 5. 5. *Et ecce in medio throni agnum stantem.* v. 6. Sed vide, ubi leo? in campo. *vicit leo.* Et ubi agnus? in triumphali throno. Non leo in throno, neque agnus in campo: quia in gloria splenduit humilitas, & in adversitate animositas. Magna differentia videtur esse inter promissionem, & exhibitionem: nam leonem audivit in promissione; agnum videt in exhibitione: magna enim est differentia inter leonem, & agnum; leo est magnus, agnus est parvus. Si utrumque consideramus, utrumque Redemptorem nostrum comprobamus: ipse est enim leo per potentiam majestatis, agnus per mansuetudinem, leo fortitudine, agnus pietate: leo in promissione, ut spes infirma se roboret;

agnus in exhibitione; nè pavidam conscientiam formidaret; quem videlicet videt agnum in medio throni. Richardus à S. Vict. l. 2. in Apoc. p. 2. c. 3. Non raro contrarium evenit: plures enim sunt in adversitate imbecilles, & in prosperitate feroces; si fastigiò fulgeant, leones, in calamitate agni. Naxera in Josue 10. §. 23.

Alia Exempla ex Novo.

Arundinem vento agitatam. Math. 11. 7. Arundinem mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Joannem neque prospera erigere, neque adversa noverunt inclinare. S. Gregor. hom. 6. in Evang.

Modicum. Joan. 16. 16. Mox post promissionem Spiritus Sancti, tristitia Discipulis annuntiatur; ut eorum virtutem exerceat: nam, si magnò animò promissionem de divino Spiritu acceperunt; æquò etiam animò ejus discessum perferant: adversa enim, & prospera, æquò animò ferenda. Sylveira hic.

Scio & humiliari, scio & abundare, & satiari, & esurire: abundare, & penuriam pati. Philipp. 4. 12.

Sententia.

In die bonorum nè immemor sis malorum. Eccl. 11. 27. Cum & bona, & mala, hominibus in hac vita obveniant, nec per illa inflectere, nec per hæc nimium dejici, debemus. Optimè utrique malo occurratur: si opulentus in aternitatem oculos conjiciat; in qua penas acerbissimas luet; si elatus rebus prosperis, nimium sibi tribuat. Contrà, qui persecutionibus, inopia, &c. premitur, eandem intuetur, DEUMque intelligat aditare remuneratorem; si aternitatis spe temporalia damna æquanimiter ferat. Octavianus hic.

Quisquis in solo aternitatis desiderio figitur; nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur: dum nil habet in Mundo, quod appetat; nihil est, quod de Mundo pertimescat. S. Gregorius mor. l. 10. c. 12.

Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corruptit. S. August. in ps. 83.

Duplex tentationum genus. Nam vel res adversæ corda hominum, velut ignis aurum, per patientiam probant; vel res ipsæ secundæ per modestiam, & liberalitatem, qualis quisque sit, facile ostendunt. Equè namque durum videtur, in rerum difficultate minimè dejici, & infraactum fervare animum; ac in felicitate non extolli, nec alios despiciere inferiores. S. Basilius ferm. in divit. avar. ut lyra, aut arcus nervi; ita Mundi quoque contentus, vicissitudine quâdam intenditur, ac remittitur; & in rebus humanis nihil sinceri, nihil puri, est. Sed quemadmodum in musica soni sunt, & graves, & acuti; & in Grammatica literæ, cum vocales, tum mutæ: musicus autem, & grammaticus, est; non qui altum genus molle fert, atque fugit; sed qui omnia usurpare, & permiscere, arte sua potest: ita in rebus quoque humanis, cum sint oppositi invicem ordines; non debe-

debemus in altero animum ob dolorem despondere: verum harmonicos imitari; & melioribus deteriora obscurando, ac mala bonis occupando, concinnum vitam nobisq; conveniens temperamentum conficere. Plutarchus libello de animi tranquillitate.

Ad parandam animi tranquillitatem multum conducit, illustres viros considerare; quæ eadem, quæ nos, fortunâ æquò animò sunt usi. Idem ibidem.

TITULUS. V.

ÆTAS.

Et tenebræ erant super faciem abyssi; dixitque DEUS: fiat lux. Gen. 1. 2. 3. Hinc fit, tenebras esse præstantiores luce? aut bruta nobiliora homine? Did. Niff. Dom. 23. Pent. §. 4.

Flevit eum (Jacob) *Ægyptus septuaginta diebus.* Gen. 50. 3. Abierunt Joseph, & ceteri filii superflites in terram Chanaan; & celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt septem dies. v. 10. An fortè major fuit charitas Ægyptiorum erga advenam, quam liberorum erga parentem? ut idè illi septuaginta, hi non amplius septem dies, defunctum plorant? Indicat Moyses, æstimari luctum, non à diuturnitate temporis; sed ab averbitate, atque intentione, doloris: & fieri posse, ut plus efficiatur septiduò, quam septuaginta. Hinc ait: *celebrantes exequias planctu magno atque vehementi.* Did. Niff. Dom. 16. Pent. §. 4.

Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus. 1. Reg. 16. 13. Imperfectus quidem David per adolescentiæ tempus; ad summam tamen divini cultus aciem evectus est. Cujus mores DEUS, vel in medio grege, admiratus, regis ornate sceptris. S. Basilus Seleuc. orat. 14. *Vixit alios duos fratres, Jacobum Zebedæ, Joannem fratrem ejus &c.* Matth. 4. 21. Nota: Christus prætermisso patre vetulo, filios juvenes in suum contubernium ascivit. Glossa: ostendit, personas non esse accipiendas. David præ fratribus senioribus ele-

ctus in regem. Samuel pluriæ æstimatus, quam Heli, Petrus junior Andréa in principem Apostolorum electus. Did. Niff. Dom. 23. Pent. §. 4.

Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptistâ. Matth. 11. 11. Quomodo Joanne nemo major surrexit, cum Abraham, & Isaac, & Jacob, & ceteros, quam plures, in obsequiis divinis diutius laborasse contlet? Sed evidens pro certò: quia est plures laboraverunt eò diutius; nemo ferventiùs, & puritiùs: qui tempore juventutis suæ inventus est in tentatione fidelis, & fortis. Algor. l. 2. de Sacram. altaris cap. 7.

Nè fortè honoratior te sit invitatus. Luc. 14. 8. In domo Dei, non qui tempore, sed qui meritis, prior; ille verè prior. Putàram, eum, qui prior advenerat, hòc nomine primum etiam locum promeruisse. Sed Christus id negat; adeoque etiam suadet; ut, qui alios præoccupavit tempore, non propterea superiora loca invadat; nè fortè posterior adveniat, cui, pro majori meritorum debito, cedere debeat. Did. Niff. Dom. 16. Pent. §. 4.

Eccè tot annis servio tibi. Luc. 15. 29. Prodigus adventat modò; sed eò antiqui erroris dolore percussus, ut necessarium non fuerit, asperis verbis corrigere, sed spebus bonis levare. Pandit poenitendo peccata; humilitas suam indignitatem fatetur; & de intimo cordis dolore omnibus citissime virtutibus exornatur. Naxera in Jos. 18. §. 27.

TITULUS. VI.

ÆTERNITAS.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Quidquid obruleris, sacrificii, sale condies. Levit. 2. 13. Sale significatur æterna durabilitas. Sal igitur est Symbolum tum æternitatis DEi, quam per salem protestabantur offerentes victimas salitas; tum integritatis, & incorruptionis animæ, & corporis; quam DEUS in offerente exigit. Cornelius hic.

Omnis enim igne salietur. Marci 9. 48. Maldonatus, & Franciscus Lucas ignem gehennæ accipiunt: ut Christus det causam ejus,

quod proximè dixit: *ubi vermis eorum non moritur.* Causa est: omnis enim, scilicet talis, qui gehennæ adjudicandus est, igne ejusdem salietur, id est, igne uretur, & cruciabitur; sed ita, ut eodem igne, quasi sale fervetur incorruptus ad perpetua tormenta: sal enim & urendi, & conservandi, vim habet. Cornelius in Marci 9.

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Eccl. 1. 7. Mare, nisi fallor, æternitas est; quæ nec detumet, nec infumet; sive illi flumina exarescant, sive in illam se exonerent; in qua quivis latex nomen perdit. Felicitas tamdiu felicitas appellatur, & est, quamdiu æternitas non recogitur: quod si in illam influat, nihil est.

B 2